



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

Vita, Epistolae, Et Decreta Bonifacii Papae I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

ANNO CHRISTI 418.

est recitari decretalis epistola Siricii Romani pontificis ad Africanos episcopos data. Vnde quanta Africanæ ecclesiæ erga Romanum pontificem obseruantia fuerit, nemo non intelligit. Quid præterea in hac Synodo actum sit, non apparet.

^b *Teleptense.*] Sic dictum a Telepte, quæ est vrbs Africæ D. Augustino & Cypriano, eratque metropolis & prima sedes prouinciæ Byzacenæ, cui episcopus nomine Donatianus præerat, ille idem, qui etiam huic Concilio præfuisse, Mileuitanæ Synodo subscripsisse, & Concilio Carthaginensi præcedenti hoc anno celebrato interfuisse, apud acta allegatorum Conciliorum legitur: *Donatianus Teleptensis prima sedis subscripsit*, habet Concilium Mileuitanum II. Dubium itaque nullum est, quin hætenus mendose Telense pro Teleptensi nominatum fuerit.

Locus Concilii habiti.

Donatianus quis?

^c *Post consulatum gloriosissimi Honorii XI. & Constantii II.*] Anno nimirum Christi nati 418. Zosimi pontificis secundo, Honorii imperatoris 24. & Theodosii II. nam hic annus primus est post consulatum Honorii undecimum, & Constantii secundum. Baron. ann. 418. num. 31.

Tempus celebrati Concilii.

VITA,
EPISTOLÆ, ET DECRETA
BONIFACII PAPÆ I.

Ex libro pontificali.

^a **B**ONIFACIUS natione Romanus, ex patre Iocundo presbytero, ^b sedit annos tres, menses octo, dies septem. Hic sub contentione ordinatur cum Eulalio. Et fuit dissensio in clero menses 7. dies 15. Eulalius ordinatur in basilica Constantiniana, Bonifacius autem in basilica Iulii. Eodem tempore audiens hoc Placidia Augusta cum filio suo Valentiniano Augusto, dum sederent Rauennæ, retulit Honorio Augusto Mediolani sedenti. Eodem tempore ambo Augusti, missa auctoritate hoc præceperunt, vt ambo exirent ciuitate. Qui cum pulsi exissent, habitauit Bonifacius in cœmeterio sancti Felicitatis martyris via Salaria, Eulalius vero in ciuitate Antio ad sanctum Hermem. Veniente autem die proximo Paschæ præsumpsit Eulalius, eo quod ordinatus fuisset in basilica Constantiana, & introiuit in urbem, & baptizauit, & celebrauit Pascha in basilica Con-

Ggg ij

stantiniana. Bonifacius vero, sicut consuetudo erat, celebravit baptismum Paschæ in basilica sanctæ martyris Agnetis. Hoc audito, Augusti utriusque miserunt, & eiecerunt Eulalium, & missa auctoritate, reuocauerunt Bonifacium, & constituerunt episcopum, Eulalium vero miserunt foras in Campaniam. Et facta Synodo, deponitur Eulalius a 252. episcopis, quia iuste non fuerat ordinatus, & ex consensu omnium. Et sedit Bonifacius præsul, & constituitur Eulalius in ciuitate Nepesina episcopus. Post annos tres & menses octo defunctus est Bonifacius. Et petierunt clerus vel presbyteri Eulalium reuocari. Quod tamen non consensit Eulalius, Romam scilicet reuerti. Qui tandem in eodem loco Campaniæ, post annum mortis Bonifacii, defunctus est. Hic Bonifacius constituit, ut nulla mulier aut monacha pallam sacratam contingeret, aut lauaret, aut incensum poneret in ecclesia, nisi minister. Nec seruum clericum fieri, nec obnoxium curiæ, vel cuiuslibet rei. Hic fecit oratorium in cœmeterio sanctæ Felicitatis, iuxta corpus eius, & ornauit sepulcrum sanctæ martyris Felicitatis, & sancti Siluani, ubi & posuit hæc: Patenam argenteam pensantem libras viginti. Scyphum argenteum pensantem libras decem. Amam argenteam pensantem libras tredecim. Calices minores duos pensantes libras quatuor. Coronas argenteas tres pensantes libras quindecim. Hic fecit ordinationem vnam in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros tredecim, diacones tres, episcopos per diuersa loca triginta sex. Sepultus est in via Salaria in cœmeterio sanctæ Felicitatis martyris, iuxta corpus illius, octauo Kalendas Nouembris. Et cessauit episcopatus dies nouem.

N O T A.

Bonifacius
quando
pontifex
factus.

Schisma ab
Eulalio
exortum.

^a *Bonifacius.*] Defuncto Zosimo, post interregnum duorum dierum, quinto Kalendas Ianuarii, anno 418. Bonifacius presbyter in lege doctissimus, bonis moribus comprobatus, acclamatione totius populi, & plurimorum optimatum, inuitus pontifex eligitur & consecratur. Cum Eulalius archidiaconus, statim occupata Lateranensi basilica, cum diaconis & paucissimis presbyteris, ac multitudine turbatæ plebis, se ambitiose eligendum curasset, adeoque nouo schismati causam dedisset, Symmachus vrbis præfectus, in huius fauorem, relationem IV. Kalendas Ianuarii scriptam misit: ex qua Hono-

rius falso & male persuasus, mandauit Bonifacium, vt intrusum, nec rite electum, expelli: vtrum accepta relatione presbyterorum vrbis, ad cauendum tumultum & seditionem, præcepit vtrumque Bonifacium & Eulalium cum suis quemque fautoribus intra diem sextum Iduum Februarii Rauennæ adesse, & adscitis pluribus episcopis mandat causam examinari. Qui cum inter se non conuenirent, profert negotium ad Kalendas Maïas, & interim iubet vtrumque vrbe abesse: & propter imminens Pascha, mittit Achilleum episcopum Spoletinum, qui Romæ sacra myteria celebraret. Ad schisma tollendum imperator, Christianæ concordie studiosissimus, Concilium congregare decreuit, plurimosque episcopos per literas euocauit. Verum iusto Dei iudicio accidit, vt ipse Eulalius suis seipsum operibus condemnarit, seque apostolico munere indignum declararit. Nam contra mandatum imperatoris & Concilii, 15. Kalendas Aprilis horis meridianis Romam ingressus, occasionem tumultui dedit, vt populus in duas factiones diuisus, propemodum inter se confingeret. Quo cogito imperator mandat Eulalium vrbe excedere, & reluctantem vi expelli. Episcopi, quorum ducenti quinquaginta conuenerant, iussa imperatoris exequuntur, Eulalium causa cecidisse declarant, vrbe expellunt, & Bonifacium tamquam verum & legitimum episcopum in urbem reuocandum esse decernunt. Quod cum populus audisset, magnopere gauisus est, atque imperatori gratias, biduo post latam sententiam, faustis acclamationibus eum in urbem introduxerunt. Introductus, ante omnia ecclesiam schismate dissectam vnire & conciliare conatus fuit, eamque ob causam literas ad Honorium transmisit: de quibus infra. Huius tempore ingens persecutio Persica in Christianos sub Isdegerde mota fuit, in qua centum millia Saracenorum a Persis in auxilium euocata, immisso diuinitus pauore, se in Euphratē præcipitauerunt. Theodoretus lib. 5. cap. 38.

Post S. Hieronymum, clarissimum ecclesiæ lumen pie sancteque defunctum, Honorius religiosissimus imperator, hæreticorum zelus impuglator & hostis, tyrannorum fortissimus debellator, anno imperii sui 28. post mortem patris exacto, Romæ ex hac vita migravit. De quo illud obseruatu dignissimum notauit Orosius lib. 7. cap. 24. quod vndique bellis obrutus, & tyrannis obsessus, nihil antiquius habuerit, quam vt extirpandis hæresibus catholice ecclesiæ opportunitatibus maxime consuleret, Africamque præcipue ad vnitatem ecclesiæ reduceret: ideoque a Deo illud beneficium valde mirificum acceperit, quod eodem ferme tempore crudelissimi tyranni, imperiique inuafores, Alaricus, Constantinus, Constans, Maximus, Iouinus, Sebastianus, Sarus, aliique plures cum iis extincti fuerint.

^b *Sedit annos tres, menses, &c.*] Errat auctor pontificalis: quem enim constat coepisse sub consulatu Honorii 12. & Theodosii octauo, quinto Kalendas Ianuarii, peruenisseque vsque ad anni 423. octauum Kalendas Nouembris, sedisse oportet annos quinque

Eulalius
schismaticus
suis se
damnat o-
peribus.

Eulalius
ab impera-
tore vrbe
expellitur.

Saraceno-
rum in per-
secutione
Persica di-
uinitus im-
missa stra-
ges.

S. Hieron.
& Honorii
imperatoris
obitus.

Bonifacius
quamdiu
sedem Ro-
manam ob-
tinuerit.

minus duobus mensibus, & tribus diebus. Idem S. Prosper & Marcellinus in chronico testari videntur, dum ad consulatum Mariniani & Asclepiodoti, ingressum successoris referunt. Baronius anno 423. num. 8.

EPISTOLA I.
BONIFACII PAPÆ I.
AD HONORIVM AVGVSTVM.

Supplicatio papæ Bonifacii, vt constituatur a principe, quatenus in vrbe Roma nunquam per ambitum ordinetur antistes.

Bonifacius episcopus Honorio Augusto.

Dist. 27.
Ecclesiæ
meæ, cui.

ECCLESIAE meæ, cui Deus noster meum sacerdotium, vobis res humanas regentibus, deputavit, cura constringit, ne causis eius, quamvis adhuc corporis incommoditate detinear, propter conuentus, qui a sacerdotibus vniuersis, & clericis, & Christianæ plebis perturbatoribus agitantur, apud aures Christianissimi principis desim. Si quidem secus quam oporteat eueniat, non vos id facere, qui cuncta æqua moderatione componitis, sed nos per nostram tacentes desidiam videbimur, quod ciuitatis quietem, & ecclesiæ pacem peruertere valeat, admisisse. Cum enim humanis rebus diuinæ cultor religionis, Domino fauente, præsideas: nostra culpa erit, si non id sub vestra gloria (quam certum est diuinis semper rebus animo promptiore fauisse) firmo & stabili iure custodiatur, quod per tot annorum seriem & sub illis etiam principibus obtinuit, quos nulla nostræ religionis cura constrinxit, id est * vt fidens vtar licitis, & sub vestra imperio clementiæ, minime quæ sunt illicita formidentur. Ipsa enim ecclesia deuotionem tuam, Christianissime imperator, * meo quidem sermone, sed suo venerabili appellat * affectu, quam Christus Deus noster, vestri fidus rector gubernator imperii, vni desponsatam sibi & intactam virginem seruat, ne in eam aliquos patiamini insidiantium procellarum fluctus illidi, & quietam faciem tempestatis insolitæ tumore turbari, gloriosissime & tranquillissime imperator Auguste. Ipsa ergo (quæ vni

* nostra vni desponsata, * vestra tamen mater est) ecclesia, hac pietatem vestram legatione, quam suis sacerdotibus commisit, appellat, præterita præsentiaque repetit. Vobis, inquit, religiose imperantibus, creuit meus, qui modo tuus est, populus, tam fidus Deo, quam tibi, qui es princeps Christianus. Ecce enim inter ipsa mysteria, inter preces suas, quas pro vestri felicitate dependit imperii, teste (apud quem & de cuius sede agitur) S. Petro, sollicitis pro religionis obseruantia vocibus clamat: cum sollicita petitione miscetur oratio, ne nos in varias res semel euulsa distrahat a Dei cultu solito, tentatore sollicitante, discordias. Angeretur pluribus, princeps Christianissime, mater ecclesia, nisi apud te suarum esset secunda causarum: & nisi in oppressionibus idolorum, in hæreticorum correctionibus, fide tua, diuino cultu pariter cum imperio semper florente vicisset. Habet refugium, pium tuæ mansuetudinis animum, cum suæ religionis veneratione coniunctum, cum quidquid * huic proficiat, vos agatis, & conferatis fratribus & confacerdotibus meis, probatissimis viris, a me & ab omnibus, qui ecclesiam faciunt istiusmodi, legatis; quibus precamur, sacræ causam religionis prosequentibus, in vrbe vestræ mansuetudinis, hoc animo, quo postulatis annuitis, in perpetuum statui vniuersalis ecclesiæ consulatis. Datum Kalendis Iuliis.

NOTA.

^a *Epistola.*] Cum Bonifacius in urbem regressus, ecclesiam schismate conscissam consolidare, ciuesq; in mutuam concordiam restituere ac firmare non destitisset, & paulo post in morbum, vnde non nihil periculi obitus imminerebat, incidisset, Eulalius cum suis, apud Antium non longe ab vrbe in ecclesia S. Hermetis exulans, obitum illius, longa ætate ac mala valetudine fracti, expectabat. Verum diuina gratia aliquantulum conualefcens, cum hoc aliisve experimentis didicisset, Romanæ ecclesiæ concordiam diuulsam esse, eam quibus posset adminiculis fulcire curauit: & consulens in futurum, ne post suum obitum eadem ecclesia grauiore scissura distraheretur, ad imperatorem Honorium hac de re sollicitus præcedentem epistolam scripsit.

Eulalius
schismati-
cus Bonifa-
cii mortem
expectat.

RESCRIPTVM
HONORII AVGVSTI
AD BONIFACIVM PAPAM I.

Statuit, vt si denuo Romæ episcopi ordinati fuerint duo, ambo ciuitate pellantur.

Victor Honorius, inclytus triumphator, semper Augustus, sancto ac venerabili Bonifacio papæ urbis æternæ.

Dist. 97.
Victor Ho-
norius in-
clytus.

SCRIPTA beatitudinis tuæ, debita reuerentiæ gratulatione suscepimus: quibus recensitis, egimus omnipotenti Deo maximas gratias, quod sanctimoniam tuam post longum incommodum optatæ redditam didicimus sanitati. Et ideo * reuertentibus venerabilibus viris, gaudium nostrum sacrorum apicum attestatione signamus, ac petimus, vti quotidianis orationibus apostolatus tuus studium ac votum suum circa salutem atque imperium nostrum dignetur impendere. Illud autem pietati nostræ fatis placitum esse cognosce, quod sanctimonia tua de ecclesiarum aut populi perturbatione sollicita est. Quæ, vt ne aliqua ratione possit euenire, fatis clementia nostra credidit esse prouisum. Denique beatitudine tua prædicante, id ad cunctorum clericorum notitiam volumus peruenire, vt si quid forte religioni tuæ (quod non optamus) humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum. At si duo contra fas temeritate certantes fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem: sed illum solum in sede apostolica permanfurum, quem ex numero clericorum, noua ordinatione diuinum iudicium & vniuersitatis consensus elegerit. Vnde id obseruandum est, vt omnes tranquillam mentem & pacificos animos ex serenitatis nostræ admonitione custodiant, nec aliquid seditiosis conspirationibus tentare conentur, cum certum sit, nulli partium sua studia profutura.

Dist. 79. Si
duo forte.

* reue-
rentibus

ÆPISTOLA II.
 BONIFACII PAPÆ I.
 AD EPISCOPOS GALLIÆ.

De Maximo Valentiniæ ciuitatis episcopo variis criminibus accusato, vt in Synodo prouinciæ illius causa discutatur.

Bonifacius episcopus Patroclo, Remigio, Maximo, Hilario, Seuero, Valerio, Iuliano, Castorio, Leontio, Constantino, Ioanni, Montano, Marino, Mauricio, & ceteris episcopis per Gallias & septem prouincias constitutis.

VALENTINÆ nos clerici ciuitatis adierunt, proponentes per libellum crimina, quæ Maximum, teste tota prouincia, asserunt cõmississe. Delegata toties cognitione, illum constituta semper subterfugisse iudicia, nec confisum conscientia festinasse, vt si esset innocens examinatis omnibus purgaretur. quæ toties Decreta, ex vestrarum quoque chartarum instructione cognouimus. Qui e contrario probauit de se illa quæ dicta sunt, qui ad ea confutanda, cum essent innumera, a decessoribus meis prouinciali delegata cognitione, conuentus etiam dicitur euitasse, & adesse minime voluisse. Et nullus dubitat quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum vt absoluetur qui est innocens quærit. Sed astuta cauillatio eorum qui versutis agendum credunt esse consiliis, nunquam innocentia nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus quisquis se subterfugere iudicium dilationibus putat. Veniet tamen aliquando ille, qui talis perhibetur, in medium, nec proderit illi toties latuisse, toties subterfugisse, quem sui actus & commissa, quocumque fugerit, ea quæ obiiciuntur illi, si vera sunt, crimina persequuntur. Debuerã quidem iam nunc dignam pro eius accusatis in nostro iudicio actibus, qui cognitionem & Decretum iudicium saepe declinando credidit illudendum, ferre sententiam. At ne aliquis præcoquam forsitan iudicaret, & sibi qui absens est, licet sit quæsitus a nobis, reseruatum esse nihil diceret; maluimus intercapedine temporis data differri: cum hæc etiam eius

Iuo p. 5.
cap. 271.

Concil. Tom. 4.

Hhh ij

accusatores asserent, de quorum intentionibus & moribus sit securum, Maximum tanto magis damnanda committere, quanto tardius se constituto iudicio præsentarit. Quem Manichæorum inuolutum caligine, arguunt turpi secta olim, ita ne eum possit abluere, animum sordidasse, in probationem obiectæ rei gesta synodalia proferentes: & commissis inuolutum vndique flagitiis, nullum eum sanitatis habuisse respectum. quem furore suo & insana temeritate ad sæcularium quoque iudicum tribunalia subditum quæstioni, quod in vili quoque persona turpissimum est, obiicerent peruenisse, & homicidii damnandum asserunt, gestis prolatis in medium. Et hunc talem, post tanta taliaque commissa, episcopatus adhuc sibi nomen in suis latibulis vindicare, in propriæ ciuitatis infamiam, nimis doloribus conquerrunt, & sanctum nomen vindicando sibi velle polluere. Ideoque, fratres carissimi, quia audiendus hic præsentare se noluit, ne conuictus forsitan ab accusantibus se clericis, posset digna tandem aliquando præsentatus episcopali iudicio pronuntiationis congrue feriri sententia: (quamquam illi, cum hæc edocta fuerint, quæ potest huius nominis esse iactura, qui pudorem nunquam sacerdotii habuisse perhibetur, & locum suum ne modico quidem tempore custodisse?) dilationem tamen dedimus, & decreuimus vestrum debere intra prouinciam esse iudicium, & congregari Synodum ante diem Kalendarum Nouembrium: vt si adesse voluerit, præsens, si confidit, ad obiecta respondeat: si verò adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est, confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato iudicio, purgandi se occasione non vtitur. Nihil enim interest, vtrum in præsentis examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia. Nos autem per omnes prouincias literas dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, vt ad prouinciam venire cogatur, & illic se constituto præsentare iudicio. Quidquid autem vestra caritas de hac causa duxerit discernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra, vt condecet, necesse est auctoritate firmetur.

3. quæst. 9.
Decernimus
vestrum.

Data sub die Idus Iunias, Monaxio viro clarissimo consule.

NOTA.

^a *Epistola.*] Hac epistola Bonifacius anno Christi 419. pontificatus sui primo, interpellatus libello accusationis a clericis Valentinae ecclesiae aduersus Maximum episcopum, Manichæorum sectatorem, delegauit causam cognoscendam episcopis septem prouinciarum. Vnde patet accusationes episcoporum ad Romanum pontificem deferri solere. Baronius prædicto anno num. 107.

EPISTOLA III.

BONIFACII PAPÆ I.

AD HILARIUM EPISCOPUM NARBONENSEM.

De Patroclo Arelatenſi, qui episcopum in ecclesia Luteuensi ordinarat, vt nullus contempto metropolitano ordinetur episcopus.

Bonifacius episcopus urbis Romæ Hilario episcopo Narbonensi salutem.

DIFFICILEM quidem fidem querimoniis commodamus, quarum sacerdotes Domini pulsant intentio: maxime cum eos loquuntur quippiam contra patrum statuta tentasse. Sed frequenter has asserit, sicut nunc, multitudo causantium. Ecce enim, vt caritas tua recognoscit ex subditis, Lutubensis ecclesiae cleri ordo, vel plebis, preces suas & lacrymas ad nos, quantum datur intelligi, magno cum dolore miserunt, dicentes coepiscopum nostrum Patroclum, sua petitione cessante, in locum decedentis episcopi nescio quem in alia prouincia, prætermisso metropolitano, contra patrum regulas ordinasse. Quod nequaquam possumus ferre patienter, quia conuenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, vt eadem proprie verba ponamus, Per vnâquamque prouinciam ius metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subiectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, seruandum sancto Spiritu suggerente sibi met censuerunt. Vnde, frater, carissime, si ita res sunt, &

Synodus Nicæna Can. 6.

H h h iij

ecclesiam supradictam prouinciæ tuæ limes includit, nostra auctoritate commonitus, quod quidem facere sponte deberes, desiderijs supplicantium & voluntate respecta, ad eundem locum, in quo ordinatio talis celebrata dicitur, metropolitani iure munitus, & præceptionibus nostris fretus accede: intelligens arbitrio tuo secundum regulas patrum quæcumque facienda sunt a nobis esse concessa: ita vt peractis omnibus apostolicæ sedis quicquid statueris te referente clarescat, cui totius prouinciæ suæ ordinationem liquet esse mandatam. Nemo ergo eorum terminos audax temerator excedat: nec aliquis in illorum contumeliam partibus suis, quæ sibi ab his non videntur concessa, defendat. Cesset huiusmodi pressa nostra auctoritate præsumptio eorum qui ultra licitum suæ limitem dignitatis extendunt. Quod idcirco dicimus, vt aduertat caritas tua, adeo nos Canonum cautius præcepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra definiat, quatenus metropolitani sui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Data v. Idus Februarias, Dominis nostris Honorio XIII. & Theodosio X. Augustis consulibus.

NOTA.

Bonifacius
Hilario de-
mandat vt
quæ Patro-
clus agat,
expiscetur,
& sedi apo-
stolicæ re-
ferat.

Epistola.] Hac epistola ad Hilarium Narbonensem episcopum scripta iussit Bonifacius, vt Hilarius, iure metropolitani, & præceptione apostolicæ sedis, ad locum, vbi erat Patroclus, accedat, quæ agenda sunt videat, & apostolicæ sedi referat. Dicebatur enim Patroclus fauore Constantii sedem Arelatensem vsurpassè, & alienæ metropolis iura inuadere, & in Narbonensi prouincia, sedi pastore carenti, de episcopo providere, & in locum decedentis alium episcopum subrogare, atque ordinare conatum fuisse. Baronius anno 422. num. 1.

DECRETA BONIFACII PAPÆ I.
QUÆ NON HABENTVR IN PRIORIBVS,
NUMERO QVINQVE:

Sunt autem desumpta ex Decretis Gratiani,
& ex vetustis codicibus aliis.

PRIMUM.

Ante annos triginta presbyter non ordinetur.

Si quis triginta ætatis suæ non impleuerit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus. Et ipse Dominus tricesimo anno baptizatus est, & sic cœpit docere. Oportet ergo eum, qui consecrandus est, vsque ad hanc legitimam ætatem non consecrari.

Dist. 78.
Si quis tri-
ginta.

Luce. 3.

SECUNDVM.

*Primate deferuntur negotia quæ metropolitanus
explicare non valet.*

Si inter episcopos eiusdem Concilii dubitatio emerferit de ecclesiastico iure, & de aliis negotiis, primum metropolitanus eorum cum aliis quibusdam in Concilio considerans rem, diiudicet. Et si non acquiescat vtraque pars iudicatis, tunc primas illius regionis inter ipsos audiat: & quod Canonibus & legibus consentaneum sit, hoc diffiniat. Et nulla pars valeat calculo eius contradicere.

6. quæst. 4.
Si inter epi-
scopos e-
iusdem.

TERTIVM.

Quidquid Domino consecratur, ad ius pertinet sacerdotis.

Nulli liceat ignorare, quod omne quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quidquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, & ad ius pertinet sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui quæ a Domino & ecclesia, cui competunt, aufert, vastat & inuadit, vel eripit: & vsque ad emendationem, ecclesiæque satisfactionem, vt sacrilegus iudicetur: & si emendare noluerit, excommunicetur.

22. quæst. 1.
Nulli liceat
ignorare.
Lenit. 27.

QVARTVM.

11. quest. 1.
Nullus episcopus.

Nullus episcopus, neque pro ciuili, neque pro criminali causa apud quemuis iudicem, siue ciuilem siue militare, producat, vel exhibeatur. Magistratus enim qui hoc iubere ausus fuerit, amissione cinguli condemnatione plectetur.

QVINTVM.

Ex libro IV. librorum quinque, cap. 21.

De episcopis qui fratribus nocere desiderant.

1. Ioan. 4.

Sicut *omnis qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est*: ita & *omnis qui odit proximum, ex diabolo est*. Dilectione enim sola discernimur, quis ex quo genitus approbetur, dicente Ioanne: *In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli*:

1. Ioan. 3.

Omnis qui non facit iustitiam, & qui non diligit fratrem suum, non est ex Deo: quoniam hæc est annuntiatio, quam ab initio audistis, ut diligamus alterutrum. Et post paululum: *Omnis qui odit fratrem, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Ecce homicida esse probabiliter declaratur, qui a fraterna societate diuiditur. Nam etsi manus non moueat ad occidendum, pro eo tamen quia nititur ad nocendum, iam a Deo homicida tenetur. Viuit ille, & iste iam interfector conuincitur. Cum igitur his præceptis B. apostolus Paulus consona prædicatione concordet, dicens: *Non occidet sol super iracundiam uestram*: Et, *Nolite locum dare diabolo*: relatæ sunt nobis quorundam sacerdotum personæ in tantam obstinationis efferbuisse discordiam, ut non solum illos ab ira occasus solis non reuocet, sed ne annosa quidem transactio temporis ad bonum caritatis reclinet, quippe in quorum cordibus idem sol iustitiæ Christus occubuit, ut ad lumen caritatis redire vix possint. Horum igitur & similium discordantium fratrum oblationes, iuxta antiqui Canonis diffinitionem, nullo modo recipiendas esse censemus. Personis tamen discordantibus, id speciali diffinitione præcipimus, ut eos ante reconciliatio vera innectat, quam vllus eorum accedere ad altare Domini audeat, vel gratiam communionis sanctæ percipiat: sed geminato tempore per pœnitentiam com-

Ibidem.

Ephes. 4.

Non occidet sol super iracundiam uestram: Et, *Nolite locum dare diabolo*: relatæ sunt nobis quorundam sacerdotum personæ in tantam obstinationis efferbuisse discordiam, ut non solum illos ab ira occasus solis non reuocet, sed ne annosa quidem transactio temporis ad bonum caritatis reclinet, quippe in quorum cordibus idem sol iustitiæ Christus occubuit, ut ad lumen caritatis redire vix possint. Horum igitur & similium discordantium fratrum oblationes, iuxta antiqui Canonis diffinitionem, nullo modo recipiendas esse censemus. Personis tamen discordantibus, id speciali diffinitione præcipimus, ut eos ante reconciliatio vera innectat, quam vllus eorum accedere ad altare Domini audeat, vel gratiam communionis sanctæ percipiat: sed geminato tempore per pœnitentiam com-

compenſabunt, quo diſcordiæ ſeruiert. Quod ſi vnus eorum, alio contemnente, ad ſatiſfactionem caritatis curre- rit, ex eo tempore iam pacificus intra eccleſiam re- cipietur, ex quo ad concordiam feſtinaffe conuincitur. Sententia tamen ſuperiori ſeruata, vt tempus, quod in ira expendit, geminatum pœnitentiæ ſatiſfactione per- ſoluat.

S E X T V M.

E X E O D E M. cap. 13.

Si epifcopus expulſus auſus fuerit ingredi ciuitatem.

Et annotatur, iſtud cap. haberi ex epifſtola eiufdem ad epifcopos Gallia.

Si epifcopus expulſus auſus fuerit ingredi ciuitatem qua expulſus eſt, vel exire de loco in quo degere iuſſus eſt, iubemus eum in monaſterio, in alia prouincia conſtituto, tradi, vt qui in ſacerdotio peccauit, degens in monaſterio corrigatur.

 a CONCILIVM CARTHAGINENSE

b NOMINE VI. ORDINE TEMPORIS V.

c tempore Zoſimi, Bonifacii & Cœleſtini.

d De modo proſequendæ appellatiõis ad ſedem apoſto- licam interpoſitæ, celebratum præſentibus Romana ſedis aliarumve eccleſiarum e legatis viginti duobus. f Eſtque prouinciale.

TITVLI CAPITVLORVM.

ANNO
CHRISTI
419.

I. Allocutio Aurelii epifcopi ſancti ad Synodum.

II. Reſponſio Fauſtini epifcopi le- gati Romana eccleſiæ de his que in eccleſiæ partim Canone, par- tim conſuetudine ſunt firmata.

III. De commonitorio Romani papa recitato.

IV. Alypii epifcopi reſponſio, pro Concil. Tom. 4.

veris exemplaribus Nicæni Con- ciliij perquirendis.

V. Vbi Fauſtinus epifcopus dixit: vt Romano papa Synodus, pro in- quirenda Nicæne Synodi veri- tate, innotefcat.

VI. De ſententia Sardicenſis Con- ciliij recitata a poſtulate Noua- to epifcopo.